















Catalogus

- 1/ *Præcepta Legibus Humanis,
sed non Divinis solutas,
J. B. Franc. Buddæus Hale.
1695.*
- 2/ *De Personis Egregiis, earumque
Junibus Aens. Hildebrand
Althorf. 1693.*
- 3/ *Græc. Memorien = Rych
L. W. Hünig
S. Philipp. Müller Jena
1699*
- 4/ *Ob einer Tubenisse Abtissin
in Sauffland, J. W. Hünig
H. W. Hünig. H. W. Hünig
Bulemanus H. W. Hünig
an Althorf. 1698*
- 5/ *De Foro Illustris Filij Delin
quentis. Johann Klein
Rostock. 1697.*



- 6/ De Inorleyis Studiosorum
 ex Autb. Abbit. C. ne filius pro
 Patre et Lucas Beckmann
 Witteberga 1702
- 7/ De Sumtibus Auditorum et
 Jo^hann^{is} Boefferus. Franckf.
 ad Rhod. 1687.
- 8/ Apostasia Auditorum
 J. B. Witte. Altdorf. 1679
- 9/ Oratio de Studiosi Elegan-
 tia et Herm: voss. Dr. Stadt
 Helmst. 1701.
- 10/ Oratio de Bono Academi-
 Erstopf. Henr. Ritmeyer
 Helmst.
- 11/ Moralitas Graduum Acad-
 micorum et Franco. Albert
 Appinus. Rostrob. 1702

- 12 / De Magisterio & Brandan
Henr. Oebardi Oryphist.
1695.
- 13 / Positiones Juridicae de Do-
ctore Jans Bullato, Utr.
Marbach. Argentor. 1695.
- 14 / De Characteribus boni Docto-
ris J.B. Henr. Acker
Jena. 1705.
- 15 / De Causis cur nonnulli Crudi-
ti nihil in lucem miserint.
Frd. Willb. Bierling
Rintzel. 1702.
- 16 / De Privilegiis Pauperum
J.B. Volk. Beckmann Jena.
1668.
- 17 / De Jure circa Furiosos &
J.B. David Fauberus
Altdorff. 1703.

- 18 / De Locis Fundorum, Carp.
Henr. Hornius Wittenb. 1693
- 19 / Utrum et quousq. Iudi ac Mu-
ti Teudorum sint capaces?
Joh. Henr. Berger. Lipsia.
1707
- 20 / De Officio Auditoris. Barb.
Leon. Schwendendorff.
Lipsia. 1690.
- 21 / De Jure Fidei. Diss. Jaanq.
Wilhelmi Micgoni.
Hardenvoici 1710.
- 22 / De Decretoribus s. Delicto.
ribus non solvendo existen-
tibus vulgo Banquerottic-
ren. Georg. Wernerus
Helmstadt 1703.

- 23) De Medici Officio, Direct I.
Johann Bobnius Lips. 1697
24. 25. 26. Continuationes ejus
dem Bobnij. Lipsia. 1697. 1699.
27. Microvellus Medicus seu
Ratio Status Medicorum
Anonymus Argent. 1698.
- 28) De Theologia Pseudo-Me-
dici Georg Henricus
Cfoetzius Lipsia. 1700.
- 29) Homerus Medicus, Joannes
Brendelius Witeub. 1700
- 30) Superstitiosus Medicus, Au-
gust. Quirn. Rivinus
Lipsia. 1698.
- 31) Medicus Inculpatus, Dem
Rivinus Lipsia 1699.

- 32 / De Medicamentis in securis
 Frider. Hoffmann; Hala.
 1713. 40
- 33 / An Medicis impune occi-
 dere liceat. Wills. Hud.
 Waldfmeest. Kilia. 1704. 41
- 34 / Medicina Forensis J.B.
 Bodn. Lips. 1690. 42
35. 36 / Continuationes ejusdem
 Bodnij Lips. 1690 1692. 43
- 37 / Positionum Medico-Fo-
 rensium Ennea c
 Albar. Hermann Cunn-
 mus. Jenæ. 1654. 44
- 38 / de Vulneribus, Henr. Rud.
 Redeker. Rostock. 1667. 45
- 39 / Synopsis Doctrinae ac Medici-
 cine Vulnerum Wittenb. 1673.

- 40 / De Vulnere Letali Factus
Henr. Mangold Rintzeliij
1701.
41. Henricus Meibomius De
Vulneribus Letalibus,
Helmst. 1694.
42. De Vulneratione Letali
Frider. Philippus Lippe
1684.
43. De Fundamentis Letalitatatis
Vulnorum. Georg Wolffg.
Wedelius Jena. 1695.
- 44 / De Vulnere Capitis, Ire-
naus Vebr. Francof.
ad Oder. 1689.
45. / De absoluta Letalitate Vul-
neris Arteriae Magnae
Franco. Henricus Merc-
meister Hala. 1694.

46. De Vulneribus eorumq; Symptomati-
tis. Pmtt: Vater Wittenb. 1712
47. De Erroribus circa Causas mor-
tis subita. Pmtt: Henr: Hen-
ricus Wittenb. 1703
48. de Efficacia Sierum Criticor-
um in Vulneribus de Letalia-
tate dubiis. Georg Wolff.
Wedelius. Jena 1712

DISSERTATIO ACADEMICA

DE

CHARACTERIBVS BONI DOCTORIS

AD THEOCRITI I DYLLION XXIV.

QVAM

DIVINIS ET SVPERIORVM AVSPICIIS

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

GVILIELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE

MONTIVM, ANGARIAE ET VVEST-

PHALIAE, ETC.

IN ACADEMIA SALANA

PRAESIDE

M. IO. HENRICO ACKERO

GOTHANO

P. L. C.

ERVDITORVM DISQVISIONI

SVBIICIET

IO. DETHMARVS DIECMANN

SVSATENSIS

PHILOSOPHIAE ET THEOLOGIAE CVLTOR.

A. D. IANVARIJ A. O. R. MDCCV.

IENAE IN OFFICINA NISIANA

No. 14.

A. 21.

VIRI S
EXCELLENTISSIMIS, CONSULTISSIMIS,
NOBILISSIMISQVE
INCLITAE REIPUBLICAE SVSATENSIS
CONSVLIBVS, SYNDICO,
PROCONSVLIBVS,
RELIQVISQVE SPLENDIDISSIMI
MAGISTRATVS ORNAMENTIS
PATRONIS SVMMA OBSERVANTIA
COLENDIS HOC DEVOTI CVLTVS
MONIMENTVM STATVIT

CIVIS SVBIECTISSIMVS

IO. DETHMARVS DIECMANN.



felicitati amplissima **VESTRA** nomina
commendauit. Hac igitur incitatus ca-
thedram philosophicam, quae optimis sem-
per caluit exercitiis, conscendere, & hoc pau-
carum pagellarum opusculum **VOBIS**,
patroni summi, offerre sum ausus. Ac-
cipite illud fronte serena, atque benignita-
tem illam, qua patrem dilectum semper
complexi, filio conseruats. Rogabo prae-
potens Numen, quod huic rerum vniuersi-
tati praesidet, vt **VOS** his temporibus
difficillimis clementer seruet, atque con-
stanti felicitate prosequatur.

Valete.



I. N. I.

DISSERTATIO DE CHARACTERIBVS
BONI DOCTORIS

Non in vulgus modo, sed apud ipsos ingeniorum principes bonum, fidumque haberi doctorem, rara quidem, sed plane magnifica laus est. Quae vero virtutes, quique characteres boni doctoris sint, sub exemplo Lini, antiquissimi illius Thebani poetae, contemplabimur.

§. 2. Quando poetam nomino, etiam philosophum fuisse adfirmo. Vsitatum namque valde erat priscis temporibus sapientiae praecepta carmine complecti, id quod nonnulli aperte faciebant; alii vero fabulosis narrationibus utebantur, quarum tamen primarius scopus erat, ut corrupti mortalium mores emendarentur, & ad honestatis atque virtutis studium a vitiorum obscenitate traderentur, quemadmodum

A

prae-

DE CHARACTERIBVS BONI DOCTORIS.
 praeclare demonstrat ICtus litteratissime
 doctus Conradus Rittershusius epistola
 praeliminari ad Ioachimum Camerarium de re-
 nouanda editione fabularum Phaedri, a Petro
 Pithoeo tum primum repertarum. Vid. Henrici
 Iulii Scheurlii bibliographia moralis aph.x. Quo
 nomine nonnulli Poeticam primam philosophiam
 vocabant, quod Strabo confirmat in inicio Cosmogra-
 phiae scribens: *ἡ ἀρχαία φιλοσοφία ἵνα λέγεται πρώτη τῆν
 ποιητικὴν, εἰσαίγεσθαι εἰς τὴν βίον ἡμῶν ἐκ νέων, καὶ διδάσκουσιν
 ἄθλῃ καὶ πάθῃ, καὶ πράξεις μεθ' ἡδονῆς. οἱ δὲ ἡμέτεροι καὶ
 μέγαν ποιητὴν ἔφασαν εἶναι σοφόν.* h. e. *Veteres philoso-
 phiam primam dicunt poeticam, adducentem nos ad
 vitam a teneris, & docentem mores & affectus, &
 actiones cum voluptate; nostri vero & solum poeram
 dicunt esse philosophum.* Pluribus haec docet Nico-
 demus Frischlinus in epistola dedicatoria, Calli-
 machi Cyrenaei hymnis & epigrammatibus prae-
 missa.

§. 3. Non vero erat ex numero illorum
 poetarum, quibus ita pudor excessit, vt vana &
 impudica cogitata, dictaque numeris & modis ar-
 tificiose sustineant comprehendere, summaeque
 turpitudini adhibere orationis lenocinium; sed re-
 etior sanctiorque scribendi carminis ratio ipsi
 placuit. Io. Ludouicus Praschius multis ingenii
 monumentis, quae condidit, praeclarus, in psy-
 che

DISSERTATIO

ché Cretica p. 66. hanc elegantissimis hisce verbis expressit: *Linus, Orpheus, Musaeus hymnis in Deorum laudes modulandis aureos intendebant nervos. Nihil apud ipsos leuitati, nihil perituris amoribus loci, quibus nostrum saeculum eueritur.* His itaque effecit, vt omnes apertissimis signis Linum sibi charum esse demonstrarent: sed vt ipse etiam Herculi, Argiui Amphitryonis filio, praeficeretur sapientiae pariter, morumque doctor. Hic explicauit virtutes boni doctoris, atque Herculem, quem mater *ὡς νεὸν Φυτὸν ἐν αἰλώ* sicut teneram plantam in viridario aluerat, omnibus doctrinis, quibus puerilis aetas impertiri debet, cum cura erudiuit. Quod testatur Theocritus non ille ortu Chius, at e media plebe Syracusius idyllio xxiv. p. m. 192. his versibus:

*Γεμίμασθε μὲν τὸν παῖδα γέροντιν Λίνου ἐξοδιδάξον
ὡς Ἀπίλλωνος, μελεθωνέος, ἀγρυπνέου ἤρωος.*

*Litteras quidem puerum senex docuit Linus,
Filius Apollinis, procurator diligens, peruigil heros.*

§. 4. Quando *ὡς Ἀπίλλωνος* dicitur, innuitur viri pietas, quando *μελεθωνέος* accurata rerum dispositio, quando *ἀγρυπνέου ἤρωος* infatigabilis industria, tres illi boni doctoris characteres, quos iam describemus pluribus.

§. 5. Primus igitur boni doctoris character pietas est, compendium omnium virtutum, si nec

DE CHARACTERIBVS BONI DOCTORIS.
ad fraudem, nec in simulacrum composita. Latissimus vero illius est ambitus. Doctor enim hac praedictus, quae vel soluta a vetere disciplina, vel a bonis moribus detorta, vel mala consuetudine deprauata, contaminata, corruptaque sunt, restituit, emendat, atque in omnes partes vigiles oculos circumfert, ne per longas moras mala inualefcant. Accendit & extimulat, quos ferri videt ad capeffenda pietatis & sapientiae studia: reuocat, quos virtutis lemitam deseruisse cernit, immo perpetuo de commodis, ornamentisque iuuentutis cogitat. Quam indolem in Confutio, optimo Sinensium philosopho intueri licet, qui, vbicunque fuit, ardens atque indefessum studium prae se tulit, veram sapientiam cum hominibus communicandi, omnesque, quos fors ipsi offerret, a deprauatissima vitae consuetudine, ad castissimum, integerrimumque vitae genus reuocandi. Quod ex Christ. Mentzelii chronologia Imp. Sinens, atque ex vita Confutii, a Coupletio scripta, aliisque demonstrat vir doctissimus Io. Georgius Pritius in oratione de controuersia circa cultum, Confutio a Sinensibus praestitum, in Ecclesia Romana inter societatis Iesu patres & Dominicanos acerrime agitata. Paria praestitit Iacobus Sadoletus, de quo Antonius Florebellus in vita eius scribit: *Si*
quos

DOCTORUM DISSERTATIO
quos in errorem impulsos a recto itinere declinasse cognouerat, paternis eos admonitionibus in viam reducere studebat.

§. 6. Deinde curat eiusmodi doctor, immo omnis in hoc est, vt suae fidei concrediti a praecudiciis tam praecipitaniae, quam adfectuum liberati doctrinam omnem fastu, virtute ficta, inepto. que iudicio corruptam, quam pedantismum dicunt, cane peius & angue fugiant. Vid. Chr. Thomasiai introduct. ad phil. aul. cap. 6. §. 2. & c. 16. §. 6.

§. 7. Neque solum illos docet, qui graues aere dextras adferunt; sed honesta etiam ratione obligare nititur a nummis minus instructos. Immo tam res innoxiae utilitatis, quae accipienti profunt, dantem non grauant; quam beneficia *καὶ ἐξουσίαν* sic dicta praestare contendit. Pufendorf. de O.H. & C. lib. I. cap. VIII. §. 4. 5. Atque hac via laudabili sane & honesta se in omnium beneuolentiam, bonamque existimationem vendicat.

§. 8. Denique detestatur illorum ambitionem, quos pudet ignorantiam vlllo tempore in rebus ad professionem suam pertinentibus fateri, non aduertentes quanto plus dignitatis sit in confessione generosa, quam in turpi dissimulatione imbecillitatis. Vid. Vlrici Huberi oratio de pedantismo,

6 DE CHARACTERIBVS BONI DOCTORIS.
tismo, Christ. Thomasi introductioni ad phil.
aulicam addita p. 265. Iungatur elegantissimum
nostri D. Io. Philippi Treuneri programma, quo
philosophiam a miseria philosophorum commen-
dat.

§. 9. Cum autem intersit multum, qua
quisque via in studia ingrediatur, & qua ratione
progressum in iis faciat, ne festinata spe, aut prae-
postero conatu, quod necessarium fundamento e-
rat, negligatur; hinc requiritur in bono doctore
accurata rerum dispositio atque ordo, quo nihil
est pulcrius in omni ratione vitae. Vid. Lucius
Iunius Moderatus Columella, diligentissimus
rei rusticanae scriptor lib. XII. cap. 2. Huc vero
pertinet prudentia didactica, quae est facultas ad
genium & captum discipulorum sese adcomodandi,
& ad finem propositum consequendum cuncta ri-
te disponendi. Vid. Io. Francisci Buddei prae-
ceptoris optimi, nec a nobis sine reuerentia nomi-
nandi, philosophia instrumentalis p. 248.

§. 10. Hac instructus explorat illorum,
qui erudiri cupiunt, ingenia, ut deprehendat ad
quas artes apta sint atque idonea. Distinguit
plebeios a principibus & nobilibus peculiari ratio-
ne ad litteras instituendis, ut docet praeclarus ille
scholarum per Germaniam instaurator Io. Stur-
mius

mius in libello de educatione principis ad principem Guilielmum Iuliaci ducem perscripto, & in nobilitate litterata ad Wertheros fratres. Adde Io. Schefferi de generosi nobilisque informatione litteraria dissertationem, in gratiam Suecorum scriptam. Discernit vitae ciuili & gerendae reipubl. destinatos ab illis, qui iterum alios aliquando in scholis vel Academiis informare sibi proposuerunt, adeoque non ad opinionem aliquam, aut umbram eruditionis, sed ad vera solidaque studia ad ducendi.

§. II. Exploratione ingeniorum ita facta summa contendit opum vi, vt discentes non solum de primis cognoscendi principiis, sed & de propositionibus fundamentalibus cuiusque disciplinae certi reddantur. His enim firmatis & diligentius emunitis, quidquid super structum est, inconcussum perstat, & vim ac impetus dissentientium perfert. Perperam contra docet, qui neglecto aut non rite posito fundamento tantum occupatur circa conclusiones. Quod quidem vitium partim ex ignoratione artis, partim ex ignoratione methodi oritur, interdum & ex cupiditate ostentandae doctrinae, cui amplior in conclusionibus se aperit campus, quam in principiis, docentelaudato Buddeo in phil. instrumentali p. 236.

osid

§. 12. Ne-

DE CHARACTERIBVS BONI DOCTORIS.

§. 12. Neque per longa exordia & ambages tenet suos, nec obscura breuitate defraudat, tricas, apinasque omitrens, seria vero & ad rem pertinentia sermone plano atque enodi proponens.

§. 13. Praeter vero ea non imitatur Orbilius, quem Horatius lib. I I. ep. I. v. 70. plagosum nominat, sed lenibus verbis suos a voluptatibus ad labores, a cupiditatibus ad recta, a falsis ad vera deducit. Atque certe nihil veritati magis contrarium, nihil rectae rationi magis aduersum, quam violentia. Duci non rapi vult animus hominis, neque dubium est, quin vnicum moderatioris ingenii verbum plus agat, quam omnes arrogantis animalis plagae.

§. 14. Iam ex historia litteraria adferre possumus plures, qui ista docendi prudentia instructi litterarum studiis non solum ornamentum, sed praesidium etiam & stabilitatem attulerunt singularem. Verum ne videamur circuitationibus & anfractibus vti, paucos tantum in medium producemus. Prae-cellit in his nominibus Guarinus Veronensis, ex cuius ludo innumeri litterarum principes prodierunt. De eo enim ita indolis egregiae, ac parentis virtutes decoraque feliciter referentis, filius, in libello de ordine docendi & studendi, a celeberrimo nostro
histo:

historiarum professore, Burcard Gotthelf Struuius, edito p. 77. scribit: *Vidi ego nonnullos sub optimo, & eius linguae non minus, quam Romanae doctissimo parente meo, vno anno in Graecis tantum profecisse, ut, quos nunquam viderant libros, per se in latinam linguam sic integre fideliterque conuerterent, ut ab omnibus facile probarentur. Ex quo adparet, ipsum singulari docendi prudentia in tradenda Graeca lingua usum.*

S. 15. M. Antonius Muretus ob eandem virtutem Paulum Foxium, Archiepiscopum Tolosanum regis Galliarum oratorem dilaudat orat. XXVI. voluminis primi p. 225. verbis sequentibus: *Graecis & latinis litteris Lutetiae diligenter ex cultus, ibidemque in philosophiae studio magna cum cura exercitatus Tolosam se ad percipiendam Iurisprudentiam contulit, quo in studio tantos breui tempore progressus fecit, ut adhuc adolescens publice de utroque iure magna cum omnium admiratione responderit, eosque honores consequutus, qui amplissimi confecto studiorum curriculo decerni solent, incredibili hominum concursu ius civile docuerit: cum ad eum inuisitata quadam dicendi facultate de obscuris dilucide, de confusis ac perturbatis ordinatim ac disposite, de dubiis enucleate differenterem, etiam ii, qui diu magna*

B

cum

10 DE CHARACTERIBVS BONI DOCTORIS.
cum laude docuerant , discendi causa quotidie conue-
nirent.

§. 16. Sed haec accurata rerum dispositio, quae Guarinum & Foxium tantopere ornavit, defuit Ioanni Bodino Andegavensi Gallo; quem quidem Naudaeus nimio amore erga civem occoecatus super astra euehit. Atque haec confusio & ordinis neglectus conspicitur etiam in libris sex, quos de republica scripsit, de quibus Professor Helmstadiensis Gebhardus Theodorus Meierus in praefatione, analysi ac expositioni Politicorum Aristotelis praemissa, atque de iis, per quae ad prudentiam civilem proficere licet, agente, ita iudicavit: *In libris sex de re publica varios locos civiles, veluti eum, qui de re publica optima tractat, deinde ordinem & demonstrationes, modestiam etiam erga Aristotelem, aliosue desideramus. Saepe nimis ad alia digreditur Bodinus, & nimis operosus est in historiis recensendis, quae in scientia politica uno vel altero verbo erant tangendae, uti praecclare ab Aristotele observatum. Plurima praeterea, quae sunt privati & publici iuris admiscet, quibus demitis omnibus parum remanebit argumenti politici.*

§. 17. Non vero hae virtutes, magnae
licet

licet atque illustres sint, consummare laudem perfecti possunt doctoris. Labore & constantia etiam opus est, symbolo illo, quod Christophorus Plantinus, vir typographia sua praeclare de studiis meritus ex deperdita Ciceronis oratione pro Scauro desumpsit. Vid. Gerardus Io. Vossius de imitatione cum oratoria, tum praecipue poetica cap. III. §. 3. Doctor enim bonus nocturna diurnaque industria in litterarum studia incumbit, ut emendata, pulcra, & exactis minimum distantia in usus discentium possit proferre. Qua in parte iurisconsultissimus vir Iacobus Cuiacius laudandus, qui continuas sex, vel septem, aut octo horas singulis lectionibus meditandis, dirigendisque prius impendebat, quam auditorii suggestum conscenderet. Vid. Io. Papirius Masso, scriptor, iudicio Marquardi Freheri orig. palat. part. I. c. 10., eruditione, & accuratione omnibus saeculi nostri scriptoribus superior, parte II. eulogiorum. p. 296.

§. 18. Deinde raro feriari debet a legendo, ut citius cetera cuncta, quam horam sine linea praeterire sinat. Ita faciebat Aristoteles, quo absente a publicis diatribis Plato dicere solitus: surdum est auditorium, quia *vers*, hoc est, mens seu intel-

12 DE CHARACTERIBVS BONI DOCTORIS.
tellectus abest ; & Aristotelis aedes aditurus dixit :
eamus ad domum lectoris. Vid. laudati Scheurlii
bibliograph. mor. aph. 42.

§. 19. Hi igitur sunt characteres, ex quibus de bono fidoque doctore iudicare possumus. Libet adhuc adiicere, cum seiunctum a re proposita non sit, quanta raritas bonorum docentium, quaque prosequendi veneratione. Laborat quidem saeculum illorum multitudine, qui docentium nomen gerunt ; sed magna illorum, qui sanctissima hac professione rite funguntur, est, semperque fuit paucitas. Si doctrinam, omnemque vitae habitum paullo diligentius excuseris, dicere de iis necesse habebis, quod Isocrates de sophistis sui temporis in oratione contra sophistas p. 626 edit. Ambrosii Pezierii : πολλῆς ἐπιμελείας αὐτοὶ δεόμενοι, τὰς ἄλλας παιδεύειν ἄπρακτοί. *Multa cura ipsi indigentes alios erudire suscipiunt.* Hinc olim Confutius, sapientiae magister clarissimus, supremo correptus morbo, & in eo suorum temporum perturbationes lugens non immerito dixit : *Sapientes et sancti exaruerunt.* Couplet in vita Confutii p. 121.

§. 20. Quo rariores igitur sunt boni doctores, eo maiorem debent habere venerationem, eoque lautiora ipsis constituenda sunt stipendia.
Sed

Sed hoc est, quod hodie negligitur, & de quo gra-
uissimae extant eruditorum querelae. Christo-
phorus Pellerus in politico scelerato impugnato
indignitate rei commotus p. 6. ita scribit: *Dolen-
dum certe cum fons & radix virtutis atque honestatis
sit institutio proba, firmaque reip. columna iure summo
habeatur, quod a paucissimis tamen de doctore, qui apte
iuuentutem exhortetur, qui in tanta bonorum praece-
ptorum inopia virtute & scientia instruat animos,
qui ad pecuniam luxuriamque cursu ruentes prensat at-
que retrahat, anxia cura circumspiciatur, aut si prae-
clara talis & coelo propius delapsa anima, Diogenis lu-
cerna quaesita, feliciter inueniatur, quod talia ta-
men minime constituentur salaria, quibus emens
quidpiam praeceptorum contentus esse possit, quod maxi-
mopere requiritur, ne illi graue sit in illo munere mori, aut
ad altiora aspirandi occasio detur; sed ut potius gau-
deat concreditam sibi spartam omni virium benignita-
te laetanter exornare. Quod vero ad venerationem
attinet, magna opus cautione, ne vel debitus ho-
nor bonis doctoribus denegetur; vel reducatur il-
lud Scholasticorum imperium, quo inculcabant
eum grande scelus committere, qui non in omnia
magistrorum verba iuraret.*

§. 21. Io. Caspar Suicerus S S. Lingg. in
Schola Tigurina prof. in thesauro ecclesiastico tom

74 DE CHARACTERIBVS BONI DOCTORIS.

II. p. 287. quatuor a discipulis postulat 1 credere doctore 2 optime de praeceptore sentire 3 non omnia a doctore expectare, sed ipsum quoque a se praestare quae oportet 4 non tantum ad doctorum doctrinam, sed & ad eorundem opera respicere. Sed latius paullo prorogare limites iustae videtur venerationis, dum credendi facilitatem, vitium abiecti animi atque illiberalis commendat. In quo tamen praecuntem habet Simplicium cap. XXIII. in Epictetum ita docentem: *πᾶσι ὑποτέτακται τῶν μαθητῶν ὡς θεῶν προστασίοντι δ' ἀποφασίως ὑπερέσθαι.* Omnibus eorum praeceptis, tanquam diuinis dictis sine mora est parendum.

§. 22. Mihi ita videtur. Aut doctores solum susceperunt erudiendi curam, aut simul vitas testes, rectores atque magistri constituti. Si illud, debemus gratam mentem; si hoc, praeter gratam mentem obsequium, neutiquam credulitatem, quam Muretus vecordium dicit esse vitium, postulare possunt.

§. 23. Posterioris vero generis doctoribus, cum tanta potestate armati sint, recte etiam discipulorum actiones imputantur, si ex debita & possibili directione aliquid omiserunt. Caute tamen & cogitate hac de re scribit Pufendorfius lib. I. de O. H. & C. c. l.

C. c. I. §. 18. Habet ea res fere suum modum finemque, sic ut illud possibile cum aliquo velut temperamento est moraliter sit intelligendum. Cum per quamcunque subiectionem unius sub altero subiecti tamen libertas non extinguatur, quin alterius directioni reniti, & in diuersa tendere possit; nec vitæ humanæ indoles ferat, ut quis vni velut perpetuo adfixus omnes istius motus obseruare queat. Igitur, si quis omnia fecit, quæ directionis sibi iniunctæ natura ferebat, ubi nihilominus quid ab altero patratum fuit, patranti soli imputabitur.

§. 24. Plurimos vero huius officii, bonis doctoribus præstandi cepit semper obliuio. Nonne Hercules Linum præceptorem suum optimum, cuius virtutem & dignitatem maxima veneratione & obseruantia colere debuisset, interfecit? Ita enim de eo Ælianus lib. III. Var. Hist. cap. XXXII scribit: τὸν ἡρακλέα δὲ λίνῳ ἐπὶ παιδαῖα ὄντι κηραρίζων ἐπαίδευσεν. Ἀμφοτέρων δὲ ἀπομένεα ἐργάνα ἐχαλέπηκε πρὸς αὐτὸν ὁ λίνῳ. Ὁ δὲ ἀναγκάστεισ ὁ ἡρακλῆς, τῷ πλιήκῳ τῆλινε καθίκετο, καὶ ἀπέκτευνεν αὐτόν. *Herculem puerum Linus fideibus canere docuit. Verum cum imperitius instrumentum tangeret, increpauit eum Linus. At Hercules incensus ira pleetro Linum percussum interfecit.*

§. 25. Contra vero in Plinio Secundo pietas hæc

haec est suspicienda, qui Quinctiliani, quem praecceptorem suum nominat lib. II. ep. 14., filiam, Nonio Celeri Hispaniae proconsuli nuptam magna donauit pecunia, vt gratam mentem demonstraret suam. Ita enim scribit ad Quinctilianum lib. VI. epist. 32. *Quamuis & ipse sis continentissimus, & filiam tuam ita institueris, vt decebat filiam tuam, Tutillii neptem, quum tamen sit nuptura honestissimo viro, Nonio Celeri, Hispaniae proconsuli, cui ratio civilium officiorum necessitatem quandam nitoris imponit: debet. secundum conditiones mariti, veste, comitatu, quibus non quidem augetur dignitas, ornatur tamen, instrui. Te porro animo beatissimum, modicum facultatibus scio: itaque partem oneris tui mihi vindico, & tanquam parens alter puellae nostrae confero quinquaginta millia nummum: plus collaturus, nisi a verecundia tua sola mediocritate munusculi impetrari posse considerem, ne recusares.* Ad quae notat Io. Maria Catanaeus, celebris Plinii Secundi interpretis, sequentia: *quam gratus in praecceptorem Secundus, qui nec egentem, nec rogantem opibus iuuat.* Hoc itaque ingenui discantis est, non profiteri magis aes alienum & beneficia accepta, sed omni re quoque studere, ne forte inmemoris, aut mentis indignae crimen vquam sit opprobrio.

D1 A 6540

ULB Halle 3
002 937 247



Sb.

W17







No. 14.

DISSERTATIO ACADEMICA
DE
CHARACTERIBVS BONI DOCTORIS
AD THEOCRITI I DYLLION XXIV.
QVAM
DIVINIS ET SVPERIORVM AVSPICIIS
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
GVILIELMO HENRICO
DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE
MONTIVM, ANGARIAE ET VVEST-
PHALIAE, ETC.

IN ACADEMIA SALANA
PRAESIDE
M. IO. HENRICO ACKERO
GOTHANO
P. L. C.
ERVditorVM DISQVISITIONI
SVBIICIET

IO. DETHMARVS DIECMANN
SVSATENSIS
PHILOSOPHIAE ET THEOLOGIAE CVLTOR.
A. D. IANVARII A. O. R. MDCCV.

LENAE IN OFFICINA NISIANA

